

Die 22 octobris

Beati Ioannis Pauli II, papae

De Communi pastorum: pro papa.

Collecta

Deus, dives in misericórdia,
qui beátum Ioánnem Paulum, papam,
univérsae Ecclésiae tuae praeesse voluísti,
praesta, quaesumus, ut, eius institútis edócti,
corda nostra salutíferae grátiae Christi,
uníus redemptóris hóminis, fidénter aperiámus.
Qui tecum.

Lectiones

De Communi pastorum [pro papa].

- Lectio I** Is 52, 7-10: «*Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri*».
Quam pulchri super montes pedes annuntiántis...
- Ps. resp.** Ps 96 (95), 1-2a. 2b-3. 7-8a. 10.
℟: (3): *Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabilia Dómini.*
- Alleluia** Io 10, 14: *Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus,*
et cognóscó oves meas et cognóscunt me meae.
- Evang.** Io 21, 15-17: «*Pasce agnos meos, pasce oves meas*».
Cum [manifestásset se Iesus discíplis suis et] prandísset cum eis, dicit Simóni
Petro...

BEATI IOANNIS PAULI II, PPAE

Carolus Iosephus Wojtyła anno 1920 in civitate Wadowice in Polonia natus est. Presbyteratu auctus, studiis theologiae in Urbe completis, in patriam reditus variis pastoralibus academicisque muneribus functus est. Iam Episcopus auxiliaris Cracoviensis, anno 1964 Archiepiscopus nominatus est et Sacrosancto Concilio Oecumenico Vaticano II interfuit. Summus Pontifex die 16 octobris 1978, Ioannis Pauli II sumpto nomine, electus, summa apostolica praesertim familiarum iuvenumque et aegrotantium sollicitudine emicuit, quae eum ad innumeras populi Dei ubique per orbem terrarum Visitaciones duxit cuiusque fructus, inter multos alios, eximius Ecclesiae hereditate relictus ditissimum eius Magisterium et promulgationes Catechismi Catholicae Ecclesiae atque Codicum Iuris Canonici sive Ecclesiae Latinae sive Ecclesiarum Orientalium. In Urbe die 2 aprilis 2005, in vigilia dominicae II Paschatis seu de divina misericordia, pie in Domino quievit.

De Communi pastorum: pro papa.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homilia beati Ioannis Pauli Secundi, papae, in initio pontificatus.

(Die 22 octobris 1978: AAS 70 [1978], 945-947)

Nolite timere! Aperite ianuas Christo!

Petrus Romam venit! Quid enim eum hanc in Urbem, cor Imperii Romani, direxit et conduxit, nisi inspirationi a Domino infusae oboedientia? Forsitan his Galilaeae piscator hucusque venire nollet. Forsitan illic manere mallet, apud ripas lacus Genesareth, sua cum navicula, suis cum retibus. Sed, a Domino ductus, eius obsequens inspirationi, huc venit!

Secundum antiquam traditionem, tempore persecutionis sub Nerone, Petrus Romam relinquere voluit. Sed Dominus intervenit: ei obviam exiit. Petrus ad Eum se vertit, interrogans: «Quo vadis, Domine?». Et Dominus ei statim respondit: «Romam venio iterum crucifigi». Petrus Romam reversus est et hic usque ad suam mansit crucifixionem.

Aetas nostra nos invitat, nos impellit, nos obligat, ut Dominum inspiciamus et nos in humilem piamque immergamus meditationem mysterii supremae potestatis ipsius Christi.

Ipse, Qui ex Maria Virgine natus est, Filius fabri lignarii – uti putabatur – Filius Dei vivi, sicut Petrus confessus est, venit, ut ex omnibus nobis «regnum sacerdotum» institueret.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II nobis mysterium memoravit huius potestatis, in lucem proferens missionem Christi – Sacerdotis, Prophetae et Magistri, Regis – quae in Ecclesia persequitur. Omnes, totus Dei Populus istam triplicem participat missionem. Et forsitan praeterito tempore in caput Papae tiara imponebatur, haec nempe triplex corona, ut significaret, per eiusmodi signum, quod totus ordo hierarchicus Ecclesiae Christi, tota eius «sacra potestas» in ea exercitata, aliud non est nisi ministerium, ministerium quod velut unum tenet propositum: ut universus Dei Populus hanc triplicem participet Christi missionem atque semper sub Domini potestate maneat, quae suam originem non e potestatibus huius mundi trahit, sed a Patre caelesti et e mysterio Crucis Resurrectionisque.

Potestas absoluta simulque dulcis et suavis Domini omni respondet hominis profunditati, eiusque altissimis intellectus, voluntatis cordisque adspiracionibus. Ea non roboris sermone loquitur, sed in caritate veritateque exprimitur.

Novus Petri Successor in Romána Sede hódie férvidam, húmilem fiduciosámque élevat precem: «Christe! Fac, ut ego fieri et esse possim servus únicae tuae potestátis! Servus dulcis tuae potestátis! Servus tuae potestátis quae nescit occásum! Fac, ut ego servus esse possim! Immo, tuórum servus servórum».

Fratres et Soróres! Nolite timére Christum excípere eiúsque potestátem suscípere! Auxiliámini Summum Pontíficem et omnes qui Christo et, cum Christi potestáte, hómni totíque humáno géneri servíre cúpiunt!

Nolíte timére! Aperíte, immo, expándite iánuas Christo! Eius salvíficae potestáti aperíte Státuum fines, systémata oeconómica nec non política, vastas cultúrae, civílis cultus et progressiónis províncias. Nolíte timére! Christus scit «quid in hómine sit». Solus Ille novit!

Hódie saepe homo nescit quid intus, in profunditáte ánimi sui suíque cordis áfferat. Saepe sensus eius vitae hac in terra est incértus. Dúbio obrúitur quod in desperatióem mutátur. Sínite ígitur – rogo vos, humíliter ac fidénter vos implóro – sinite Christum cum hómine loqui. Solus Ille verba vitae habet, sic! vitae aetérnae.

RESPONSORIUM

℟. Nolíte timére: Redémptor hómínis crucis potestátem revelávit et pro nobis vitam dedit! * Aperíte, expándite iánuas Christo.

℣. Vocámur in Ecclésia, ut eius participémus potestátem. * Aperíte.

Oratio

Deus, dives in misericórdia, qui beátum Ioánnem Paulum, papam, univérstae Ecclésiae tuae praeesse voluísti, praesta, quaésumus, ut, eius institútis edócti, corda nostra salutíferae grátiae Christi, uníus redemptóris hómínis, fidénter aperiámus. Qui tecum.